

#

# HENRICVS AVCEPS

SAXO

HOC TEMPORE AVCT.

IN PVBLICVM DECLAMANDI THEA-  
TRVM DVCTVS,

AD QVAM SOLEMNITATEM A. V. LYCEI NOSTRI  
ALVMNIS DIE VENERIS, QVI IN FASTIS SIGNAT,

*V. Kal. Octob. 1715.*

AGENDAM.

PRAETER HONORATOS LYCEI

EPHOROS,

OMNES LITTERARVM PATRONOS ADPOSITA  
OBSEQVENDI CAERIMONIA  
VOCAT

M. IOANNES DOPPERTVS, Rector  
LYCEI SNEEB.

---

Impressit Henricus Fulda.

Hist. Germ.

A.  
128,12

*H. Germ. Hist. Imper. (75) (5)*







**H**enricus Saxo Auceps natalium splendorem trahit ex Martio Vittekindi sanguine, Princeps saeculo suo maior, et ad communes Patriae calamitates propulsandas, novaque urbium decora, ludorumque equestrium exercitia intra heroam nationem revocanda natus, in tantum profecto posterorum memoriae, et saeculorum ordini commendandus, in quantum ipsa virtus promeritam sibi laurum gloriaeque palmam exposcit. Extra dubium ponitur, hunc Henricum natalium insignia locare in Vittekindi propagine, idque vel unius Alberti Stadenfis testimonio conficitur, qui hunc in modum pronunciavit: Natus est Ottoni filius nomine Henricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia a. 917. Nec eo secius manifestum, Henrici posteros in fastigium Imperatorum subvectos. Ut recte scripserit, quisquis tandem gallice scripserit, Saxoniam domum ab ultimo tempore Augustis decoribus fundatam provectamque esse. Vid. Svite de Europe Vivante, sub tit. Saxo. Aucupis cognomen heroi peperit venandi studium, cui implicitus erat, cum regni ei insignia a Proceribus offerrentur, et vel hanc ob causam exaudiri meretur praeceteris Siffridus Presbyter, sic commentans: dicebatur Auceps, quia dum capiebat aviculas, renitens electus est. Aucupio hunc heroem saepius regni curas diluisse annotatum est a veteribus, scribitque Fabricius Chemnicensis numos aliquando sculptos fuisse cum Henrici effigie, manu dextra avem tenentis in aucupii memoriam, suoque tempore talia numismata fuisse eruta intra Grimam et Lausigam in pago Bardo minore. Principem decet venari, statoque tempore feras insectari, et per venabulum armis lacertisque in bello movendis praeludere, ac minus Romanorum mores probare, quos legimus ab hoc instituto prorsus alienos ex-

C. S. Schurz-  
fleischius in  
Vittekindo  
M. §. IIX,

Fabricius  
Annal. urb.  
Mis. p. 77.



stitisse. Quondam ex Arfacidarum familia Vonones Romae educatus Rom. moribus inhaerens, ad suos reversus, odio habitus est, inter cetera, quia Tacito arbitro raro venatu utebatur. Contra Zeno Polemonis Regis Ponti filius Armeniorum gratiam sibi conciliavit, quod eodem auctore prima infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus, venatu, epulis, et quae alia barbari celebrant, proceres, plebemque iuxta devinxerat. Artabanus Parthorum Rex non modo venator fuit, sed maximam ex venatione hausit utilitatem, quia spoliatus a suis Principibus regno, coactus est vivere, alimenta arvi expediens. Eiusdem gentis Regi Bardani arrisit adeo venatio, ut eius vitae insidiatores nunquam eum, nisi incautum, venationique intentum interficere potuerint. Imperator Adrianus excellens fuit venator. Neque dubium est, quin Macedonum, Persarumque Reges ante Parthos venatores fuerint: qua in re exempla congerere negleximus, ne nimium sapere velle videamur. Verum si Romae tam Principum, quam plebis mores investigaverimus, ubi ad unum omnia conversa fuerunt, neminem venatione oblectatum fuisse comperiemus, immo eam apud Sallustium servilibus officiis annumeratam fuisse legemus. Et mirandum est, Augustum quandoque hamo piscatum fuisse. Quod si Cn. Pompeium legimus aliquot dies in Africa venationi operam dedisse, id factum est, quemadmodum Plutarchus eleganter interpretatur, ne etiam Lybicae ferae Romanae felicitatis, atque virtutis ignarae relinquerentur. Exploratisimum est illud secundum Tranquillum, a Tiberio quendam legionis legatum infamia notatum esse, quia paucos quosdam milites venatum misisset. Cuius rei cum aliqua sit reddenda ratio, multae mihi sese offerunt. Primo, quia cum in Rep. domi forisque, in pace et bello nunquam non occuparentur, nullum ad hanc



hanc exercitationem illis otium supererat, quemadmodum in praesens Venetos cernimus, nullam in venando laudem promereri; nam, cum quis reip. gerendae se totum addicit, perinde est, ac si arti alicui operosissimae sese dedat, ut jurisprudentiae, sive medicinae, sive mercaturae, et similibus, quae intermitteri non possunt. Praeterea cum suburbia Romae longe lateque extendentur, villis, hortis, deliciis impedita; feras persecuturum necessario valde proculire oportebat: quod quia maximae foret incommoditatis, derelictam ideo fuisse venationem, verisimile est. Tertio cum venationi idonea adoleverat aetas, tunc omnis Ordinis Romana juvenus ad bellum properabat, neque etiam Romanis unquam bellandi occasiones defuerunt. Quarto Populus Rom. tot spectaculis, ludisque in urbe recreabatur, comoediis, gladiatoribus, funambulis, terarum exhibitionibus, naumachiis, ut iure merito venationis oblivio atque contemptus irrepserit. Ex quibus elicimus, ab equitibus et Impp. Romanis venationem despiciatui ductam fuisse magis ob eas causas, quas recensuimus, quam quia eam Principe indignam exercitationem esse arbitrarentur. Pietas in Deum, indoles regia et ad summa in Henrico tendens, ac virtutum catena stimularunt Conradum Regem, antea hostem, nunc mortis praedae exponendum, ut fratribus, cognatis ac reliquis Patriae Proceribus solemni omine Henricum commendaret, in quem caderent vota, ac communis suffragandi ratio, Patriaeque exterorum rabie diu admodum pressae utilitas concluderetur. Dignus est, qui huc vocetur continuator Reginonis ad A. 919. Conradus Rex obiit, Vir per omnia mansuetus, prudens et divinae religionis amator, qui cum obitus sui diem imminere sentiret, vocatis ad se fratribus et cognatis suis, Maioribus sc. Francorum, mortem sibi imminere praedixit, et ne

Scipio Amiratius differt. Polit. in Tacit. L 2. p. 31.



in eligendo post se diffidium regni fieret, paterna eos voce praemonuit. Sed et Henricum Saxonum Ducem, filium Ottonis, virum strenuum et industrium, praecipuumque pacis sectatorem sedulo commendavit. Fridulariae igitur electio Principum consensione fuit transacta, ac regni insignia ad Henricum transmissa, quae Vittekindo auctore, lancea sacra, armillis aureis cum chlamyde, veterum Regum gladio ac diademate circumscribebantur. Sic regia dignitas, quae haecenus intra Carolinos in Germania steterat, migravit ad Saxones, idque non sine secretis caeli auspiciis, quod fatum excutit, et sub vaticinandi venam revocat Hrosvitha, virgo Deo sacrata coenobii Gandersheimensis, cuius poemata non ita pridem denuo in lucem protraxit Henricus Leonardus Schurzfleischius, iam Vinariae degens, et suo Principi Serenissimo ac Musis non vulgarem splendorem affundens.

Hrosvitha  
p. 179.

Postquam Rex regum, qui solus regnat in  
aevum,

Per se cunctorum transmutans tempora re-  
gum,

Iussit, Francorum transferri nobile regnum  
Ad claram gentem Saxonum (nomen ha-  
bentem

A Saxo per duritiem mentis bene firmam)  
Filius Ottonis, Magni Ducis et venerandi,  
Scilicet Henricus, suscepit regia primus  
Iusto pro populi moderamine sceptragerenda.

Ultra Alpes pedem non promovit, nec coronandi  
ac unguendi solennia petiit a Praefule Romano, fatius mihi  
est,



est, Vittekindo efferente, ut prae maioribus meis Rex  
 dicar. Chronicon Herbipolitanum, a Laurentio Frisio  
 non fluxa fide conscriptum observat, nostrum Henri-  
 cum, pariter ac Regem Conradum ob neglectas Ponti-  
 ficis R. inaugurandi caerimonias a multis historicis in  
 Imperatorum catalogo, et eligendi Sanctionibus prae-  
 termisso fuisse, a quo lapsu non est immunis Horatius  
 Tursellinus in epit. hist. scriptor elegans, sed fidei sae-  
 pius sublestae, et pro more Loiolitarum suffenus Roma-  
 narum fraudum ac superstitionum adulator. Histori-  
 cos de Episcopatu Herbipolitano uno volumine iunxit,  
 et Episcoporum imagines aeri insculptas adiecit histori-  
 cus patriarum antiquitatum, rerumque status peritus  
 Io. Petrus Ludovicus, cuius introductio ad historiam  
 Franciae Orientalis limpidos sapit fontes, et magnam  
 in scribendo et excerpando sagacitatem probat, cui ad-  
 dat Deus robur, ut propediem Saxonum collectio pu-  
 blicum mundi theatrum salutet. Alioquin Caesaris  
 compellationem Henrico tribuit Tursellinus, minus ex-  
 acte et ad fidem monumentorum, notavitque rectius  
 Gerardus Feltmannus, nulli Principum, praeterquam  
 Romanorum Imperatori Caesaris titulum competere,  
 qui vel ex hoc capite stringit monumentum a mercato-  
 ribus Londinensibus Carolo II. Regi erectum, in quo  
 Carolus Caesar Britannicus solenni compellatione ma-  
 ctatur. Procul dubio hanc Tursellini prolapsionem in  
 Caesaris notione censendi virgulae subiecit celeberr-  
 mus Batavorum historicus et Polyhistor, non ita pridem  
 cum litterarum iactura exstinctus, Iac. Perizonius, cuius  
 animadversiones in Tursellini epitomen Batavorum  
 manibus MS. teruntur, et propediem, quod optant eru-  
 diti, publico usui sacrabuntur. Etiam a labendi vitio  
 non eximitur Io. Palatius in aquila Saxonica, qui Henri-  
 cum et Conradum publica Imperatorum salutatione ma-  
 ctavit,

Laurentius  
 Frisius in  
 Chron.  
 Vurtzb. p.  
 431.

Feltmannus  
 de tit. hon.  
 L. I, c. 34.



Michael  
Hertzius in  
Bibl. Germ.  
sub Henr.  
Auc.

stavit, ad cuius semitam se accommodavit Michael Hertzius, quondam meo muneri ad motus, et historicus excellens, ac omnino lautiore vivendi conditione dignus, cuius Germania gloriosa latet intra Venerandi filii scrinia, et ex carceris squallore vinculisque tenebrarum exire in publicum gestit. Litem propullat, et certa asseveratione testatur C. S. Schurzfleischius, nomen Imperatoris et Augusti unicum esse titulum, quo inter cunctas nationes et gentes sine ambitione gloriatur electus Romanorum Imperator. Has Imperatoris ac Caesaris notiones omni eruditionis apparatu circumscribit Jul. Caes. Bulengerus L. 1. de Imper. Rom. c. VI. VII. et VIII. qui scriptor ex annalibus Byzantinis pandit, Orientis Imperatores Ludovicum ceteroquin Imperatorem, et a Papa corona redimitum βασιλέως voce decorare noluisse, sed tantum ῥῆγα Φραγκίας salutasse, quo throno Byzantino βασιλική dignitas tantummodo reservetur. Regis ergo titulo contentus Henricus posthabuit turgidam Pontificis unctionem, et in hoc laudabili proposito successorum agmini praeluxit, quod nostris etiam moribus limina S. Petri adorare recusat, quae in ordine postremus salutavit Carolus V. non tamen Romae, sed Bononiae a vitis caerimoniis inauguratus, hinc audit in numis Imperator coronatus, cum successores tantum electi Romanorum Imperatores dicantur. Albertus Cranzius L. 3. Sax. c. IV. adhuc regno tenebrarum circumseptus pro Imperatoribus Romae non coronatis sic verba nequit: dicant igitur, si ideo imperator non est, quia a Papa consecratus non est; quis consecravit Augustum, et omnes ab eo, Augustos usque ad Carolum M. nisi ille per quem Reges regnant, et potentes iusta decernunt: cui iunge Nicol. Cusanum Purpuratum L. 3. de Conc. Cathol. c. 4. sic pronunciantem: Unctio et diadema nihil praestant imperiali potestati. Commentum est, et  
vanum



vanum somni ludibrium praebet visio S. Vdalrici, Antistitis Augustani, quam Baronius ad Henrici modestiam minuendam in Annalium apparatu ex Praefulis vita hausit, quasi Petrus per speciem Vdalrico obtulerit duos enses, unum cum capulo, alterum vero capulo nudatum, his appositis verbis: Ensis ille, qui sine capulo est, significat Regem, qui sine benedictione pontificali regnum tenebit: capulatus autem, qui benedictione divina regni tenebit gubernacula. Longe cautius hanc visionem ad Arnulphum Bavariae Ducem rebellem sine capulo, cum capulo autem enses ad ipsum Henricum accomodavit Otto Fris. cuius verba allegat Treboccorum Polyhistor, Io. Henr. Boeclerus. Vdalrici ex illustri stemmate oriundi vitam Anonymus rudi et impolito sermonis genere contexit, ab aliis deinde multis falsis adiectionibus contaminatam, quam suae integritati restituit, et cum exquisitis notis edidit Marcus Velferus, Patricius Augustanus, et Senatorii collegii ibidem, iuxta et docti orbis ornamentum singulare. Collocatus in Regis solium Henricus innatam generositatem, et paternum fortitudinis robur exseruit, specimenque primum dedit in Arnulpho, Duce Bavariae, ex Vngaria, ubi Conradi sanctione exulabat, reduce, et Henrici rebus admodum iniquo, ac communis patriae hoste et turbone primo, quem iam in congregiendi procinctu locatum sua auctoritate, verbisque regiis ad obsequendi munus permovit, et ut Regis titulo, tantum in imperio Henrico competente, abstineret, firmis rationibus coegit. Pari ratione Burckardum Sveviae Ducem antea supplicem factum antiqua maestavit gratia, et a rebellionis crimine feliciter absolvit. Luitprandus Henrici

Boeclerus de  
rebus Saec.  
a Christo  
nato IX. et  
X. p. 247.

B

ora-



Dieterichius  
in Henr.  
Auc. p. 30.

C. S. Schurz-  
fleischius de  
regno Austr.  
§. XX.

Monumenta  
Paderborn.  
Illust. Fe di-  
nandi Für-  
stenb. p. 200.

orationem metro expressit, quo Duce eam mutuatus est Io. Conr. Dieterichius, qui hac occasione in Principum congressus dilabitur, et quid commodi secum ferant aliorum fide explanavit. Lotharii regnum non ut alienum occupavit, sed ut regni ad se delati insigne membrum repetiit, et iure suo usus est, quod inde a Ludovico Germanico, ad ipsum et omnes in regno Germaniae successores derivatum, atque adeo debitum, reposci oportuit, et recuperari. Iccirco Henricus restitutionem flagitavit, et Lotharingiam iure pertinentis, et partis regni vindicavit merito et recepit, eamque cum ditione Germanica, cui subtracta fuerat, coniunxit. Ut Carolus M. bello per octo annos gesto Hunnos ad internecionem usque concidit, quo tota eorum nobilitas, tota gloria periit, omnis pecunia et congesti longo tempore thesauri direpti sunt, quibus Franci ante pauperes tunc ditati et opibus aucti Eginhard, teste: ita Vngari, Hunnorum progenies, iam inde a Ludovici III. et Conradi I. imperio, assveti flamma ferroque interiorem Germaniam depopulari, Henricum Aucupem Germaniae Regem inprimis excuerunt, qui nusquam tutus in praesidio urbis Verlaon, nunc Verla, ditionis Coloniensis in Vestphalia opido, Vngarorum impetum declinavit; donec pactis novem annorum induciis, atque urbibus interea communitis, et legibus Reip. salutaribus latis omnibusque ad vim propulsandam compositis, Vngaros tributum exacturos, magnoque cum exercitu iterum in Saxoniam irruentes, ingenti clade hostibus illata, repulit fugavitque. Luitprandus L. 2. hist. c. 8. et 9. Vitkindus Corbei. Annal. L. 1. Adamus Bremensis L. 1. c. 46. et ex eo Albertus Stadenfis, Gobelinus Persona in



in Cosmodromio aet. 6. c. 47. Boeclerus in Henrico Auc. duo observat contra Hunnos proelia, quorum primum ex Sigeberti calculo cadit in annum 922. et iuxta Merseburgum contigit, Luitprandi diligentia mirifice depictum: alterum coniicit Sigebertus in a. 934. a Vitekindo accurata trutina expensum, quae duo proelia saepius commiscuntur, nec ab ipso Fabricio in Orig. Sax. et aliis accurate satis distinguuntur. Sine dubio ad posterioris proelii memoriam ingenii aciem intendit Gotfridus, quando nominat incredibilem Vngarorum caedem, et Caspar Calvoerius, qui decertandi aream ad campos Sondershusanos et Veisenfelsen compingit. Scabiosi canis relatio a multis historicis decantata commode ad alterum refertur proelium, inoleveratque vetus consuetudo pro lege apud Francos et Svevos, ut si quis nobilis, ministerialis vel colonus coram suo iudice quorundam criminum, verbi gratia depredationis aut incendii reus inventus fuisset, antequam mortis sententia puniretur, ad confusionis suae ignominiam, nobilis canem, ministerialis fellam de comitatu in proximum comitatum gestare cogerebantur. Haec Otto Fris. L. 2. de gestis Frid. c. 28. a quo hausit Guntherus quae habet in eandem sententiam L. 5. Ligurini. Purgata ab Hunnorum quicquiliis et cadaveribus Germania, Sallustii pronunciatum ante oculos habuit heros noster, firmanda scilicet est resp. non armis modo, neque adversus hostes, sed quod multo maius, multoque asperius est, bonis pacis artibus: hinc praecepit, ut passim in Germania magna, figillatim in Saxonia urbes exstruerentur, eaeque muris, legibus ac armis, tanquam propugnaculis libidinis firmis firmis munirentur. Instar omnium pro-

Calvoerius  
in Sax. ant.  
p. 227.

Carolus Du  
Fresne in  
Glossar. ad  
script. me-  
diae et in-  
fim. latini-  
tatis p. 746.



Conringius  
Exercit. de  
urb. Ger.  
§. LXXXII.

Hen. Coc-  
cejus in Pru-  
dentia I. P.  
p. 74.

deat hic in testandi theatrum illustris Conringius, qui sic laudabile hoc institutum circumscribit. Primus prae aliis struendis urbibus operam dedit Henricus I. Rex, vere Theseus Germanicus. Ut enim ille Athenienses, ita hic Saxones ex agro in urbes compulit; urgentibus scilicet institutum Vngarorum immanibus eruptionibus, quo tutior daretur miseris receptus. Quo fines etiam imperii undique redderet tutiores, passim loci commoditate illectus Marchionatus instituit, et figillatim, quo Danorum impetus compefceret. Slesvicensem, qui Crantzio arbitro duravit per Henrici tempora, quo mortuo Marchionem Dani oppreserunt, Saxonesque in fugam coniecerunt, hinc nova bellandi occasio enata Ottoni filio, et successori. Contra Henetorum, Slavorum et Vandalorum furias tanquam regni claustra fundavit Marchiam Brandeburgensem et Misnensem, qui minus impingam in historiae leges, si adiiciam Manlii fide Marchionatum Lusatiae, ad cuius auctoritatem provocat etiam Cl. Vir, Sam. Grosserus p. 13. suae Lusatiae, non ita pridem eruditorum pluteis insertae. Illustris Coccejus observat, Marchiam Brand. iuris originisque Germanicae censerit, cum Misnia et Lusatia duae Marchiae manserint iuris Slavici: eoque nunquam locum et suffragium in comitiis habuerint. Nam Marchio tum nudum officii nomen fuit, uti vox Comitum, quo non mutatur status, nedum origo civitatis, cum haec officia tantum ad externam eius administrationem et modum, non ad formam et statum pertineant: cum igitur Marchione constituto nec origo gentium mutata, nec haec in civitatis Germanicae ius receptae sint, mansere iuris Slavici: at Marchia Brand. iustus est

est



est ducatus, qui iure proprio, tanquam a Duce Provinciae tenetur. Circiter in haec tempora, vel paullo ferius auspicia Marchionatus Austriae, quem Fridericus I. Clipeum et Cor sacri Rom. imperii appellare solebat, reiicienda videntur, et agnoscunt Annales primum Marchionem Luitpoldum, ex antiquo Bavariae Ducum sanguine ortum, et saeva Parcarum manu resectum a. 988. Vid. Cl. Christ. Iunckerus introd. in Geogr. med. aevi p. 360. Ex Vitechindo discimus, constitutis per novem annos induciis inter Germanos et Hunnos, nil dum omisisse Henricum, quod tenderet ad exercendos et imbuendos animos civium disciplina militari. Hinc non obscure concluditur, a ludis equestribus Henricum haud fuisse alienum, licet pro primo inter Germanos ludorum fundatore heroem minus agnoscamus. Verba Vitechindi observatu sunt digna, quibus ut arbiter ludorum Henricus praedicatur, siquidem in exercitiis ludorum tanta eminentia superabat omnes, ut terrorem ceteris ostentaret. Eadem verba in rebus Henrici repetit Abbas Urspergensis, ex quibus non incongrue sentiunt, quicumque certamina equestria et militaria exercitia, sub eodem in Germania viguisse credunt. Merito hac occasione cum celeberrimo Schubarto accuso negligentiam monachorum, qui non raro annotant, quoties imperatori fluxerint de manibus arma, aut baculus exciderit, quoties in publico calceamenta sint soluta, et alias ineptias plures. Quae contra annalium decus et pars futura erant nobilior, secure et vel ex ignorantia, vel taedio profani cultus reticere. Semper enim per ludos istos periere maximi et praeclari homines, quod videbatur indignum plane, et Christianis abominandum.

Geor. Schubartus de lud. equest. c. II. §. XII.



dum. Vellem Rixnerus exenteratus industria Casparis Sagittarii, Theologi et Polyhistoris nobilis, ultimam sensisset manum, procul dubio multis fabulis larva fuisset detracta, nobiliumque inter Germanos origini clarior lux accensa. Rixneri fidem sollicitavit non praeter rem Michael Braunius, Confiliarius Durlacensis, qui firmo annalium robore munitus et auspicia ludorum Henriciana falsa, leges vero spurias, et privilegia conficta, Ordinemque a certis Principibus approbatum perversum ad oculum demonstravit. Vid. eius Europa nobilis p. 708. argumentum ad antiquitatis rudera fidemque excussum, dignumque, quod nobilium et doctorum iudiciis approbetur. Adhanc stateram si ponderes ea, quae profert Erdmannus Vhseus in Henr. Auc. p. 288. utique luculentiozem et validiozem fidem desiderabis. Brunneri iudicium 7. Annal. Boi. p. 427. accurata omnino sagacitate est attentendum: certum est, familias, quae in illud album relatae sunt, plerasque post natas, aut non magis notas tunc fuisse, quam Evandri maiores; ut ridicule proinde faciant, qui argumenta nobilitatis suae ex putidis his chartis colligunt, avorumque coronas et bravia numerant, quae illis tunc sane nullus agonotheta dedit, sed recentiorum scriptorum assentatio liberali mendacio congesta. Mesopotamiensium ludum bellicum, Hababato'l Hababa dictum describit Thomas Hyde, qui ad similem belli speciem solenniter instituebatur. Post tot igitur curas, lauros et triumphos obiit tandem a. 960. Heros noster gloriosus Mimelebiae ad Vnstrutum in Thuringia, cuius exuviae Quedlinburgum delatae, ibique caerimoniis magnificis et pompa tantis manibus digna tumulo in templo abs Henrico condito illatae. Vlti-

Hyde in historia Ner-  
diludii p.  
243.



Ultimā Herois verba, quibus postremum vale dixit  
 perdilectae coniugi et liberis recenset collectio Script.  
 Brunsv. ab illustri Leibenitio coacta p. 196. Diu post  
 Henrici fata laudes Patris Patriae in declamandi thea-  
 trum deduxit Ernestus, Comes et Dominus in Mans-  
 feld, qui eas concinna, et natalium splendori accom-  
 modata oratione enarravit, quae cum aliis eiusdem  
 Ienae, cum Rectoris fasces ibidem gereret, recitatis,  
 publicam vidit lucem Francofurti 1581. 4. Excitavit  
 hic Heros et ipsa temporis ratio, quo plures mortali-  
 um aucupii demulcentur, et retia ubique in silvis  
 et campis expanduntur, non raro etiam in hortis de-  
 cipulae tenduntur, Iuvenem probum et nostrae disci-  
 plinae Alumnum IO. CHRISTOPHORVM TIPNE-  
 RVM, Grunhayna Misnicum, ut ultimae ad Patro-  
 nos salutationi praemitteret HENRICVM, eum-  
 que Patronorum coronae exhiberet. Nos laudamus,  
 TIPNERI institutum Iuvenemque ob pietatem, bonos  
 mores et literarum apparatus, quem sibi in Graecis ac  
 latinis monumentis adiectis disciplinis necessariis com-  
 paravit, merito Patronis commendamus, dignumque  
 habemus, qui adeat VITEMBERGAM, matrem purio-  
 ris doctrinae et conservatricem artium et disciplina-  
 rum. Socios in declamando apposuimus IV. Iuvenes  
 laetae spei et doctrinae laudabilis; quorum primus  
 IO. MATTHAEVS DIEZ, Graiza Var. forti-  
 tudinis laudes celebrabit: Secundus ADAMVS  
 FRIDERICVS DREHERVS, Graiza Var. Au-  
 tumnum collaudabit: Tertius PAVLVS DEVTSCH,  
 Sneeberga Misn. Hiemem in scenam producet: et  
 tandem quartus CHRISTIANVS FRIDERI-  
 CVS



CVS FISCHERVS, Sneebergensis, intra gratiarum actionis solennia ad Auditorium Platonis dictum, *Tum demum felices esse Respublicas, si vel Philosophi imperarent, vel imperantes philosopharentur*, dilucidabit. Votorum religio in eo terminabitur, ut Scholae EPHORI et literarum PATRONI hoc Iuvenum institutum sua ornent praesentia, idque laudabili Maiorum consuetudine secudent: quod benevolentiae aucupium consveta parendi religio sedulo, et ex capturae munere persancte compensabit. P.P. Dom. XIV. Trin.

A. 1715. >

